

## Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 2

Sigibertus, rex Francorum. Vestra comperiat largitas, qualiter pro devotione animae nostrae servorum Dei compendiis opitulante Domino in foreste nostra nuncupante Arduinna in locis vastae solitudinis, in quibus caterva bestiarum germinat, consulere cupientes, quatenus eorum meritis aeternae remunerationis copiam adipisci mereremur, qui ibidem patroni nostri Petri et Pauli, Johannis, Martini vel aliorum sanctorum pignora venerari noscuntur, concessimus eis ut ibi monasteria juxta regulam coenobiorum vel traditionem patrum, cognominata Malmunderio seu Stabelaco, construerentur, ubi Christo auspice Remaglus venerandus abba preesse dinoscitur, et eis tale beneficium prestitisse comptum sit, ut ibidem familia Dei vel custodes ejusdem ecclesiae quieto ordine contemplativam vitam agere deberent juxta monitionem divinam: Qui reliquerit domum, patrem aut matrem aut agros, et cetera, centuplum accipiet et vitam eternam possidebit. Quapropter pro consensu fidelium nostrorum, videlicet domni Chuniberti Coloniensis archiepiscopi, necnon et Attelani, Theudofridi, Gislochardi episcoporum, vel inlustrium virorum Grimoaldi, Fulcoaldi, Bobonis, Adregisili, item Bobonis, necnon et domesticorum Flodulfi, Ansigili, Bettelini, Gariberti, concessimus supradicto patri, ob cavenda pericula animarum inhabitantium et ad devitanda consortia mulierum, ut girum girando in utrorumque partibus monasteriorum mensurarentur spatia dextrorum saltibus non plus duodecim milibus, ut absque impressione populi vel tumultuatione saeculari Deo soli vacarent. In reliquo vero taliter noster promulgavit edictus, ut nullo umquam tempore vitae suae quaelibet persona ipsam forestem audeat irrumpere, aut mansiones aut domos aedificare, nisi tantummodo illi servi Dei qui haec tuguriola omni tempore nostro concessu excolere videntur. Et ut haec preceptio circa ipsam familiam Dei vel posteritatem illorum, quibus pro divino intuitu haec parva munuscula plenius concessimus, pleniores obtineat vigorem, manus nostrae subscriptionibus subter eam decrevimus roborari.